

divitie, usurpare per vim contra bonam consuetudinem occupate, quia non placatur homo nec etiam Deus, nisi sint integre restitute. Cum igitur, ipso dante qui super semen bonum superseminare non negligit ^{saniam}, quodam tempore discordia crevisset, et suffocata decrevisset, dante domino, pro concordia, et nunc ob detentationem castri Tornani incipiat forte resurgere; rogamus vos sicut possumus, ut iustum ab iniusto sapientissime discernentes, castrum ipsum nobis pertinens mero iure, restituere velitis, ut liquet nobis per plurima instrumenta concessum: scituri quod hec est nostre voluntatis et firmi propositi, societatem et amicitiam vestram omni tempore sine lesione conservare, et si nos sentitis culpabiles in aliquibus contra iura, desistere penitus volumus ab offensis, et de nostris rationibus comodis et honoribus conletari: nec debetis ignoroscere (1) prudentes: quod licet corpus auferri sibi tunicam patiatur, dissolutionem tamen membrorum idem corpus non substinet animatum ».

Quibus per senenses super salutatione competenti responsione premissa, inter cetera, talis est facta responsio:

« Decet nobilitatem vestram apta verba proponere, et ad laudem et honorem omnimoda pertinentia: quoniam sapientia fulgetis et moribus, ut evidenter ipsa verba declarant et vestra bona opera manifestant: et tales decet legatos mittere civitatem, qui nomen eius inter gentes afferant sapienter, et per quos eiusdem fama crescat, et expirent si que viderentur adversa. Super eo vero quod ob precedentia obsequia postulatis, audiri non oportet: quoniam verbum quod de sapientis ore procedit, pruientes aures incitat ad auditum, et vacillantia corda reducit in otium. Super aliis vero que dicitis, nos de quiete monentes, gratias vero reddimus infinitas: quies tamen totius regionis in vobis plene consistit, cum maiores sitis numero et potentia: et absit, quod potentia causam imperpetuum comittamus quieti contrariam, vel unde possit oriri discordia. Nam et raro contingit, quod minores maioribus vim inferant, nec presumitur quod de aliquibus iniurientur eisdem. Super facto vero Tornani nullam habemus potestatem, cum per nobiles quorum est proprium, nobis contradicentibus, teneatur: et volentes fidem domini forte corpus integrum conservare, dissolutionem membrorum audire minime patiuntur. Confitemur tamen collata servitia, per subsequentia opera non linita: peroptantes vobis dissimilibus, dante domino, respondere, ut quiescat quisque de paribus honeratus, et restituat totum quod possidet alienum ».

Audita vero responsione verborum cauteriatum habentium intellectum, recesserunt nil reportantes nisi verba tantum, mentem et spiritum conturbantia. Quibus veraciter recitatis, cum proponerent per vim detentum, recuperare per vim, et morbum iam inceptum sanare per simile, et tam castrum quam eiusdem dominos posuissent in bannum, ipsi domini libertatem sine manumissione credentes habere, et alienum prescribere possidendo; florentinorum salmas futuram vindicantes offensam audacter occuparunt: et cum perseverarent acriter in excessibus, post multas offensiones, triginta tres torsellos senensem mercatorum detineri, tunc florentini consules precepere, donec restitueretur ablatum, ac castrum Tornanum inhoneste detentum. Senenses vero erga plurima conturbati: quoniam amiserant, que principatum super omnibus optinet, sapientiam: viam eligere aptiorem penitus ignorabant, incipere cum dampno lites nec

(1) Forse per innoscere, ossia non noscere.